

possent. Quod tamen non eo velim accipi, ac si superscere tantisper debeamus iuris Germanici libris systematicis, quos componere quidam tentarunt felici satis successu. Quorum igitur consilium et operam neutquam improbo. Modo, quoad fieri potest, caueant, tot specialium rerum publicarum statuta saepenumero diuersissima maximeque distanta contorta ratione componantur. Modo itidem curent, ne fragmentis, quod alicubi Dn. Praeses dixit, ac frustis iuris Germanici obsoleti multisque retro saeculis abiecti et cum ipsa reipublicae forma antiquati ipsoque non vsu abrogati puluis excitetur.

§. III.

Falli certe crediderim, qui aut ius Germanicum medii, iam medii quod vocant, aeui, aut vniuersale nouum, quod Re-cessibus atque Ordinationibus Imperii continetur, priscis semper moribus legibusque respondere Germanosue adoptatis peregrinis iuribus nec vsquam patriis dedisse repudium institutis absolutius contendunt. Si, curiosius vt isthaec omnia exsequerer, propositum pateretur, facile cumulum eorum struerem, quae vel mediae iam aetatis Germanica iura iuribus exoticis adspersa esse comprobant. Quis Calpurniam, in qua culpa haerere in l. 1. §. 5. ff. de postulando dicitur, quamobrem mulieres caussas pro aliis orare prohibentur, in Speculo Saxonico se credat posse intueri. Et repraesentat vero tam terribilem adspectu iudicibus atque intolerabilem mulierem Speculum im Sächs. Landr. L. II. art. 63. his verbis: Es mag kein Weib Vorsprach seyn noch ohne Normunden flagen. Das verwirckte ihnen allen Calphurnia, die vor dem Richter missbarte vor Zorn, da ihr Wille an Vorsprechen nicht mochte fortgehen, vel, quod latina versio reddit, quae sexus verecundiam co-

B 2

ram